



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

De Lepore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A minime posthabendum. Fibrum etiam ex Pannonia, Mustelamq; & Talpam ex Italia, quos in unam omnes inclusos caveam ad te perferendos eidem Venerado commendavi. Quae dona, si quam tibi voluptatem attulerint, gaudebo: sin vero tu tam severus es, ut nullis neque nugis neq; deliciis moveare, de constantia & supercilio tuo tibi gemitulus, labor tamen identidem mea erga te benevolentia signum, qualecunq; sit, pro loco & tempore aliquod exhibuisse.

DE LEPORE. CAP. I.

Praecipua sunt Leporis significata, vigilantia, auditus, effoeminatio, pavor, venustas, fecunditas, solitudo, conatusque summus: quorum causa quantum per otium licebit, nostra hac commentatione commemorabuntur.

VIGILANTIA. CAP. II.

B Aegyptii sane sacerdotes per Leporis hieroglyphicum vigilantiam imprimis intelligebant. Causam ponit Horus, quod Lepus oculos inter dormiendum patefactos ostendet, unde etiam in adagium cesserit, *Leporinus somnus*: quotiens vigilantiam ejus qui dormire videatur, intelligendam proponimus, cum tamen perspicacissimis oculis omnia, quae usu veniant, in agendis rebus perlustrare non cesset. Xenophon ad haec scribit, Leporem palpebris clausis vigilare, ad apertis dormire, ut non temere forsitan nonnulli Leporem *ὄρεος ἄδεν*, quod aspicere est, dictum existimarint.



Plin. lib. 11.
c. 37.

AUDITUS. CAP. III.

Plutarchus vero totius antiquitatis, indagator curiosissimus, disciplinarumque omnium quantumvis abditum explorator accuratissimus, a quo longe plura quam ab alio quopiam ad materiam hanc facientia decerpi possunt, ex Leporino simulacro, auditum hieroglyphicis intelligi apud Aegyptios affirmat. Lepus enim aures proportionem reliqui corporis maximas omnium animalium habet, aurisque ideo ob excellentiam vocantur a Poetis. Quin & ipsa locutio, *λαγός*, ut nonnulli ex Graecis interpretantur, ab aurium magnitudine conformata est: siquidem *ἄς ὠτός*, ut scis, auris, apud Dores, quae tamen locutio jam apud omnes recepta est, & *λα*, particula ampliacionis est, augetq; significatum, ut *Perauritus* Latine sonet.

Virg. lib. 1.
Georg.

EFFOEMINATIO. CAP. IV.

Est praeterea Lepus enervatae cujusdam effoeminacionis signum, hujusmodi hieroglyphico jam passim vulgato: idque tum propter pilorum molliem, quam Heliogabalus in lascivioribus deliciis una cum Perdicum plumulis subalaribus habuit, quamq; lepidissimum adnotat Catullus in foeda molli tudinis scorto, tum etiam propter pulpamenti vim, de quo Livii, Andronici dictionem, pervulgatum, quod Terentius, ut Flavius Vopiscus attestatur, ab eo mutuatus est, *Tute lepus es, & pulpamentum quavis* a Graecis vero Livius acceperat, ita dicentibus, *δασύπυς κρεόν ὄρεος μὲν*. Addunt ad causas eximiam etiam timiditatem, qua maxime laborant, quod aut mollium hominum, aut mulierularum proprium est. Lepus itaq; in Divinis literis impurus est, qui quidem licet ruminet, unguam tamen bifidam non habet, sed pedes divaricationibus pluribus, iisdemq; admodum infirmis diffitos. Quoniam vero delicatae admodum est imbecillitatis, Judaicum significat populum, ait Hesy chius, de quo Salomon, *Lepusculus plebs invalida, posuit in petri cubile sibi*. Timidus etiam est Lepus, qui cubile habet in corde formidolosi Judaei, quod ita notat vox Divina, *Ve cordibus trepidis, & manibus remissis*. Lascivia in Lepore plus quam delicata, quem gentes, ut suo loco dictum, Veneri dedicarunt. Eadem in Judaeis improbitas, Esaiæ testimonio, dicentis: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena iudicii?* Sed de lascivia gentis hujus atque procacitate, multa passim testimonia suo loco & tempore dicentur.

Livii Andronici d.
Ann.

Prov. 30.

Cap. 1. v. 21.